



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE XX. AUGUSTI.



Roma a. d. 26. Jul. Pontifex Maximus celebratam Procuratoris *Isoldi* bibliothecam pretio 14000. Valensium redemptam, nepoti suo, *Stephano Conti* dono dedit. Legatus Portugallo- rum Nobilissimo *Emauehi Pirofio*, in signia ordinis, cui nomen a veste Christi est, in ædibus suis obtulit. Superi- ori mercurii die legatus Cæsareus cum A. R. P. *Colredo*, veredis vsus, *Mediola- num* profectus est.

Liburni a. d. 25. Julii. Navis quædam *Smirna* huc appulsa est, cuius benefi- cio litteras accepimus, in quibus nun- tiatur urbem *Iunen* in *Persia* regno terræ motu longe vehementissimo de- cem & octo vicibus conquassatam at- que in lapidum aceratum redactam,

omnesque pene incolas, quorum du- centa circiter millia fuerunt, obrutos esse. Mercatores nostri maximo perfusi sunt gaudio, postquam intellexissent, conuenisse iam pacis condiciones inter *Hispaniæ* ac *Magnæ Britanniæ* reges; hoc enim factò negotiationem haud pa- rum promotum iri sperant.

Neapoli a. d. 22. Iulii. Milites, qui nuper adversus Præfectos suos insurre- xerant, atque nonnullos eorum etiam interfecerant, iustas parricidii pœnas dare debuerunt; horum enim septem, qui factionis erant autores, postquam eis dexteris securi carnifex prius ampu- tasset, e ligno suspensi sunt, cadaueribus postea singulorum in quatuor partes di- scerptis atque palis ante singulas urbis portas affixis: quinque aliis laqueo gula fracta est, quatuordecim vero ad remum dati sunt.

Genua

Genue a. d. 26. Iulii. Cursor, qui Roma in Galliam missus est, cum per urbem nostram transisset, adfirmavit *Archiepiscopum Cameracensem* purpura donatum esse. Tristiora quotidie nobis nuntiantur de calamitate, quam nupera tempestas agris nostris intulit; non enim mollæ tantum quamplurimæ, sed & alia non pauca ædificia aquarum vi sunt euersa.

Mediolani a. d. 20. Iulii. Archiepiscopo nostro, cum Roma rediret, Confanguinei, ac cum his Patres urbis quamplurimi, obuiam rhedis vecti processerant, eumque ad ædes usque suas comitati sunt. Femina *Marchio Pallavicina*, nuper fato suo defuncta, S. I. Patres, Parmæ habitantes, bonorum suorum hæredes constituit.

Parisis a. d. 25. Iulii. Rex noster Christianissimus proxima die lunæ cuniculorum venatione se recreavit. Quoniam legatum turcicum, librorum *Aurois*, celebris illius Philosophi Arabici, cupiditate flagrasse rex intellexit, statuit eosdem ex bibliotheca regia, insignibus regiis exornatos, octoque voluminibus constantes eidem offerendos. Ne vero opera hæc in bibliotheca regia desiderentur, quippe quæ rara sint admodum, nec pluribus, quam vno loco in uniuersa Gallia reperiuntur, iniunctum statim est, vt exinde in serinium regium transportentur. Ceterum res admiratione digna videtur omnibus, qui fit factum, vt Arabicum hunc librum legatus sibi exposceret, cum Auctor eius, loco quodam de religionibus ita iudicet: Christianam *impossibilem*; iudaicam *puerilem*; mahometanam vero *porcis*, quam hominibus, esse *digniore*.

Alia a. d. 28. Iulii. *Nobilissimus Lassitovius*, Episcopi Sisterciensis frater, nuntium lætissimum Roma die veneris adtulit, *Archiepiscopum Cameracensem* vna

cum *Alexandro Allano*, mytra purpurea esse ornatum, quam ei rex heri ante meridiem reddidit. *Dux Bourbonensis* legatum turcicum in arce Chantyllana magnifice excepit. Sed *Dux Bullionensis*, summus regni Gallie *Camerarius*, nocte, quæ diem 25. & 26. intercessit, morbo mortuus est, cum attigisset annum ætatis 82. Ferunt filium eius natu maiorem, *Albertum*, prouinciam Patris consecuturum.

Londini a. d. 26. Iul. Speramus fore, vt rex proxime curiam adeat, ibique palam confirmet ea, quæ hucusque patres decreuerunt; atque tunc demum porogatum iri consultationes curiæ vtriusque, non sine ratione credimus. Princeps Valliæ cum coniuge sua pluribus iam diebus ruri moratur, hodie Greenwichum rediturus. *Castelmains Dominus*, subditos suos *Vansteadae*, in *Essexensi* prouincia, lautissimo conuiuio excepit: præter bouem enim, quem integrum assatum apponi curauit, decem, vini arte facti * doliola inter eos dispertitus est. Ferunt, *Barbaram Spenceriam*, quæ ob crimen adulteratæ monetæ, nuperrimæ igni combusta est, centum alios, eiusdem reos criminis, indicauisse; quorum tamen nomina, quod nondum in vulgus emanauerunt, sunt, qui ea de re dubitent. Cum femina isthæc, quam modo nominauimus, pœnas debitas lueret, ea plebis fuit impotentia, vt promiscuis lapidum iactibus, multos in spectantium multitudine, quin ipsam quoque *Spenceriam* animam Deo precibus commendantem, vulneraret. Alioquin, serio mandatum a rege est, hos, qui rei nauticæ præsumunt, vt vnam e celocibus, regio instructam apparatu, in Hollandiam traicere iubeant, atque id quidem eo fine, vt si libuerit Principi * Iuuentutis Danorum

Angliam nostram inuisere, eius ministerio commode satis uti queat.

* *Brandwein*, nostris *Palinka*.

* *Cron-Printz*.

Haga Comitum a. d. 3. *Aug.* Futuro die Mercurii, conuentum ordinum fœderati Belgii actum iri speramus. Orator *Philippi*, *Marchio Monteleonius*, consilia cum nonnullis procerum nostrorum contulit; idem legati quoque reliqui, ac in his Polonorum, iuxta & *Electoris* Colonienſis, fecerunt. Filius *Talassiar-chæ Noriſſi*, hac transit, *Brabantia* provinciam visurus. Cursor præterea ex Germania veniens, Londinum properavit. Legatus noster, qui *Bruxellis* agit, docuit proceres, litteris e Gallia acceptis certiorum factum *Marchionem Priem*, detectas illic esse sarcinas serici, ex iis aduectas provinciis, quæ peste hucdum adfliguntur: idem, quoniam in aliis etiam regionibus ex facili possit accidere, sperare eundem *Priem*, haud in malam partem versuros *Hollaudos*, si eas merces, quæ ex Gallia, *Hollandorum* ministerio hucusque ad *Brabantios* adportabantur, non prius in posterum admiserit, quam exploratæ antea fuerint.

Bruxellis a. d. 31. *Iulii*. Comes *Windſchgrätzius*, Cæsaris Orator in pacificatione *Cameracensi* futurus, mandavit domesticis suis, ut ad d. 20. *Augusti*. prompti sint paratique, ad iter *Camera-cum* suscipiendum. Ferunt enim Legatum *Hispanorum*, *Marchionem Beretti Landium*, perscripsisse ad familiarium quendam, fore, ut pacificatio illa d. 28. *Aug.* tandem inchoetur.

Francofurti ad Mœnum, a. d. 30. *Iulii*. *Elector* *Palatinus Comiti Velfio*, ab Imperatore ad se misso, adfirmavit, nihil sibi prius aut antiquius esse, quam ut voluntati *Augusti* Imperatoris, qui turbata

religionis negotia restitui penitus mandavit, quam primum obsecundare possit. *Cronveissenburgo* nuntiatur, *Stanislaum* Regem, clam illic discessisse, ignorantibus omnibus, quo iter suum direxerit. *Elector* *Moguntinus*, *Bamberga* redux, hac transit: quin & *Comes Archindo*, Pontificis Nuntius, apud nos iam est, proxime in *Poloniam* profecturus.

Hassnia a. d. 29. *Iul.* Qui sunt regi a consiliis, omnia summo studio comparant, ut *Gottorpium* quam primum queant proficisci; maxime, quod nuntiatum nobis est, indulgentissimum regem nostrum *Coldingam* præteruectum, in *Iutiam* properare; inde enim non sine ratione colligimus, post octiduum *Gottorpium* regem ingressurum esse.

Ex Holsatia a. d. 2. *Aug.* Litteræ, *Hol-mia* missæ, docent, cursorem, qui *Nyſtadio* accesserat, inter cetera, id quoque nuntiasse, *Rufforum* legatos, paciscendi causa, cum nostris consultantes, denuo *Magni sui Ducis* nomine professos esse, pacem iniri haud posse, nisi iura, quæ *Dux Holsatiæ* in *Sueciam* habeat, ei penitus adferantur: quæ quidem res, non regi tantum, sed proceribus quoque sollicitudinem eo maiorem iniecerit, quo angustiora sunt induciarum, cum *Ruffis* initarum, tempora. *Magnus* interim *Rufforum* *Dux*, festos anniuersarios dies, in memoriam victoriæ, de *Suecis* ad *Pultauam* reportatæ, eo maiori pompa *Petropyrgi* obiit, quo fauentiorem ab eo tempore fortunam hucusque expertus est. Sub idem tempus, cum Solemnitas illa celebraretur, ipseque *Magnus Dux*, eodem habitu, quo pugnae ad *Pultauam* præfuerat, alterutram custodum corporis cohortem, ad ædem sacram in acie quasi quadam collocauisset, *Coniux* sua *Petropyrgum* accessit,
a Duce

a Duce Holfatorum comitata: quam fe-
ficiis tormentorum displotionibus, ac-
ceptam, ad conuivium, augusto instru-
ctum apparatu deduxit.

*Ex Provinciis, quas Albis inferior al-
luit, a. d. 3. Aug.* De matrimonio Du-
cis Holfatiæ, cum filia Magni Rufforum
Ducis ineundo, varii adhuc dubiique
fiunt sermones: contra ea, de pace,
cum Suecis tandem firmanda, lætissima-
quæque nuntiari audias. Interim Prin-
cipi *Mentzikoffio*, summam rerum ca-
strensiū credidisse Magn. Ducem Ruf-
forum certum est, si, casu quo, irrita
fuerint pacificationis cum Suecis susce-
ptæ, consilia. E terris Megapolitanis ac-
cepimus, colluionem illam nefario-
rum homuncionum, quam *Zingaros* vo-
cant, depulsam illinc esse. Litteris Ro-
stochio missis, docemur, *Ducem Mega-
politanum* persuaderi tandem sibi pas-
sum esse, vt voluntati Imperatoris Au-
gusti, obsecundet, atque contraversias,
quæ sibi cum ordine virorum nobilium
intercesserunt hucusque, componi pa-
tiatur. Eadem literæ adferunt, d. 2.
Iulii, quæ est *Visitationi Mariæ* sacra,
in prædio quodam, cui *Teütensinckel*
nomen est, aquas piscinæ bene capacis,
colore rubicundo tinctas apparuisse,
quem & tum retineant, cum ex piscina
hauriuntur, & vel scriptioni, vel lin-
teis tingendis, adhibentur. Quæ rei
adeo portentosæ seu causæ sint, seu oc-
casiones, difficile admodum, & impe-
ditum est iudicare.

Dresda, a. d. 5. Aug. Princeps Iu-
uentutis, *Pillitzius*, cum nonnullis
procerum, profectus erat, vt illic Regi
nostro, parenti suo indulgentissimo,
natalem gratularetur. Dicitur nequit,
quanta, dies illa, pompa, iuxta & cele-
britate, transmissa sit.

Varschavia, a. d. 6. Aug. Sunt, qui
confidant, Regem Augustum, relicta
Saxonia, ad nos proxime rediturum
esse: atque tunc proceres quoque, qui
ad suos digressi sunt, huc iterum acces-
suros speramus. Orator noster, qui a-
pud Mag. Rufforum Ducem agit, *Du-
ninsus*, aulæ illi valedicturus dicitur,
eo quod minus se Duci probauerit.

Camenicia, a. d. 22. Iuli. Explorato-
res, Chocimo reduces, vno omnes ore
adfirmant, singulis diebus 2500. homi-
nes operas, muniendæ vrbi destinatas,
peragere: summaque cura inuigilare lo-
ci illius præfectum, ne quis urbano-
rum arcem intret, aut ex ea in vr-
bem temere egrediatur. Alioquin lit-
teræ ad summum castrorum regni Polo-
niæ Præfectum, a Chocimensi *Passa*,
allatæ sunt, sicuti officii, ita pollicita-
tionum plenissimæ, non commissurum
Imperatorem Turcarum, vt pax, quæ
sibi cum Polonis intercedit, vlllo mo-
do violetur.

* *Cron-Feld-Herr.*

Posnania, a. d. 6. Aug. Summus Ca-
strorum Regni Poloniæ Præfectus, man-
data hodie misit ad vniuersum exerci-
tum, vt profectioem omni studio pa-
ret, eo suscipiendam, quorsum impera-
uerit necessitas.

Vienna a. d. 16. Augusti. Proximis
hisce diebus Imperator Augustissimus
consiliis secretioribus per sepe inter-
fuit, legatisque nonnullorum Princi-
pum exterorum, sui ad eundem concessit
facultatem, reliquo vero tempore,
venatione ceruorum semet oblectauit.
Quotidie fere naues complures merca-
torix, variis mercibus, aliæ vero appa-
ratu bellico onustæ, in Hungariam di-
mittuntur.